

textus in leg. 1. §. Sed vivendum. ff. de Success. edict. quia tunc reputarentur collaterales, qui in hac materia collationum repelluntur: Et in expresso isto fundamento & ratione ita tenet Bald. in leg. Si emancipati. Cod. de Collat. 3. column. num. 3. quod est notabile & subtile: & idem tenet ibi Aretin. final. column. in fin. Alexand. 3. column. Philipp. Dec. 6. column. qui dicit hanc esse magis communem opinionem. Sed advertendum, quod contrarium videtur de jure verius; imò quod inter eos habeat locum collatio, modò succedant tanquam liberi, modò succedant tanquam agnati vel cognati: Primò, quia ex quocumque capite velint succedere, tractantur ut filii, & succedunt tanquam sui, & habent tempus anni concessum filiis & descendentes ad petendam successionem, ut in leg. 1. §. Largius. ff. de Succession. edict. & in leg. penult. §. Filius. ff. Quis ordo in bonor. possess. servet. & in leg. De bonis. §. 1. ff. de Carbon. edict. Secundò, quia eadem ratio collationis militat hoc casu, quando succedunt ex 2. vel 3. capite tanquam agnati vel cognati, sicut in alio, quando succedunt ex primo tanquam liberi, scilicet ratione invidiæ & discordiæ evitandæ inter fratres. Et ex his fundamentis istam sententiam & conclusionem contra communem tenet Fulgos. in dict. leg. Si emancipati. final. column. Roman. 9. column. numer. 24. Jason. licet non se firmet, 7. column. numer. 30. Curt. numer. 28. Et ista videtur mihi magis vera & juridica opinio.

Secundùm requisitum est, quod tales descendentes succedant titulo universali, non particulari legati, vel fideicommissi: quia tunc possent habere legatum vel fideicommissum, & non tenerentur conferre dotem, vel donationem, quam receperunt à patre vel matre in vita, quia non succedunt tanquam hæredes, sed tanquam extranei: textus est in leg. A patre. Cod. de Collationib. Cujus verba sunt: A patre verbis præcariis in codicillis relictum extero jure capiens filia ad collationem dotis urgeri non potest: & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. textus notabilis & expressus in leg. Si pater pro filia. ff. de Collatione dotis. Cujus verba sunt: Si pater pro filia dotem promiserit, deinde exhæredatæ, vel emancipatæ & præterita legatum dederit, habebit etiam dotem præcipuam & legatum. Quod intellige, nisi ex tali donatione & legato resultaret inofficiosa donatio: quia tunc residuum teneretur restituere, ut in Authentic. Unde si parens. Cod. de Inoffic. testament. & in leg. 1. & per tot. Cod. de Inoffic. donat.

Tertium requisitum est, quod bona quæ petuntur conferri, processerint de matrimonio

illius de cuius hæreditate & successione tractatur: textus est in leg. Ut liberis. Cod. de Collationib. in fin. ibi: Ut in dividendis rebus ab intestato defuncti parentis, cujus de hæreditate agitur, eadem dos, vel ante nuptias donatio ex substantia ejus profecta conferatur. & ibi communiter DD.

Quartum requisitum est, quod illud quod petitur conferri, sit acquisitum in vita ejus de cuius successione tractatur; secùs si post mortem, ut legatum, vel fideicommissum, vel donatio causa mortis, vel donatio quæ morte confirmatur: textus est in leg. Filiam cum fratribus. Cod. de Collationib. Quintum requisitum est, quod liberi, & descendentes, inter quos agitur de collatione faciendâ, sint tales, quibus debeat Legitima, ut suprâ dixi in 3. quæst. principal.

32 Sextum requisitum est, quod filius, vel descendens qui debet conferre, velit succedere: quia aliàs, si vult se abstinere, & renuntiare successioni patris, vel matris, vel ascendens, non tenetur conferre, sed potest retinere quod est sibi datum, & si quid est promissum poterit petere: text. est in leg. final. ff. de Collat. dot. Cujus verba sunt: Fuit questionis, an si sua hæres filia patris cum fratris contenta dote abstineat se bonis, compellatur eam conferre? & Divus Marcus rescripsit, non compelli abstinentem se ab hæreditate patris: ergo non tantum data apud maritum remanebunt, sed & promissa exigentur etiam à fratribus. & ibi notant & commendant Din. Bart. Alber. & communiter DD. Antiqui: text. in leg. 2. §. Si tres. ff. de Collat. bonor. text. in leg. Ex causa donationis. Cod. Famil. erciscund. & ibi notant Bald. Salic. & communiter DD. & istam regulam & doctrinam ponit Bald. in leg. Si emancipati. Cod. de Collat. in finalib. verb. & ibi Jas. penult. column. numer. 35. Philipp. Dec. antepenultim. column. numer. 11. & communiter Moderni.

33 Quod intellige, quando donatio, quæ venit conferenda, non est inofficiosa: secùs verò si sit inofficiosa, & tangat Legitimam aliorum filiorum, & hodiè in nostro Regno excederet Legitimam ipsius recipientis, & Tertium & Quintum bonorum patris vel matris; quia tunc, licet vellet se abstinere, & renuntiare successioni eorum, tenetur restituere illud residuum quod tangit Legitimam aliorum filiorum: textus est in Authentic. Unde si parens. Cod. de Inoffic. testament. textus in leg. 1. 2. & per totum, Cod. de Inoffic. donat. & utrobique DD. tradit etiam plenè Bart. in leg. Titia. §. Imperator. ff. de Legat. 2. & in expresso in materia nostra ita tenet Bald. in leg. Si emancipati. Cod. de Collat. in finalibus verb. & ibi communiter Moderni.

& idem disponit lex 4. titul. 15. 6. part. (r)

34 Advertendum tamen, quod hoc procedit clare, & absque dubio in donatione merè lucrativa: Sed pulchrum & subtile dubium est, quid in dote, si pater vel mater dedit filiæ immensam, & inofficiosam dotem, quæ excedat Tertium & Quintum, & Legitimam ipsius filiæ dotatæ, & tangat Legitimam aliorum filiorum? an talis filia dotata teneatur restituere illud residuum, quod tangit Legitimam aliorum filiorum, licet velit se abstinere à successione parentum? Et certè, si loquimur matrimonio jam soluto, talis filia dotata, vel ejus hæres tenetur restituere: quia postquam dos est reversa ad filiam, habet ex causa lucrativa, ut in leg. Mevia. §. fin. in fin. & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. ff. Solut. matrimon. Si verò loquimur constante matrimonio, tunc est maximum dubium, & procedit quæstio nostra, & videtur quod non teneatur filia, nec maritus ejus illud residuum, nec aliquam partem, in qua dos est inofficiosa, restituere: Primò, quia constante matrimonio dos pertinet marito ex causa onerosa, ut in leg. Pro oneribus. Cod. de Jure dot. & in leg. Ex promissione. ff. de Action. & obligat. & constat, quod pater vel mater, vel quilibet debitor potest bona sua alienare titulo oneroso, etiam in fraudem filiorum, vel creditorum, quando recipiens non participavit de fraude: text. est in leg. final. ff. de His quæ in fraud. credit. text. in leg. penult. Cod. de Revoc. his quæ in fraud. cred. gesta sunt: textus in leg. fin. in fin. Si quid in fraud. patron. Glossa ordinaria, & communiter DD. in §. Item si quis, Instit. de Action. Secundò & in expresso facit text. in leg. fin. §. Si à socero, ff. de His quæ in fraud. cred. ubi habetur, quod si pater vel mater in fraudem creditorum dotavit filiam, non possunt creditores revocare illam dotem, & illam actionem constante matrimonio,

nisi maritus participaverit de fraude: per quem text. dicebat ibi singulariter Bart. quod si pater vel mater dotavit filiam spuriam & incapacem, non potest fiscus auferre vel confiscare prædictam dotem constante matrimonio: & ibi sequitur & commendat Angel. Cuman. & alii DD. Et in expresso in nostra quæstione principali istam sententiam, & conclusionem tenet Doctor de Segura in repetition. leg. Cohæredi, §. Cum filiæ, ff. de Vulgar. & pupill. fol. 12. 3. column. versicul. Præmitte, cum pluribus sequentibus: scilicet quod constante matrimonio non teneatur maritus dotem inofficiosam, vel partem ejus restituere.

Sed his non obstantibus, contrarium est tenendum; imò quod pars dotis, quæ est inofficiosa, restituatur aliis filiis, etiam constante matrimonio: Primò per prædicta jura superiora, quæ disponunt, quod filius vel filia, qui vult se abstinere ab hæreditate patris vel matris, teneatur illud quod immense est sibi donatum in præjudicium Legitimæ aliorum eis restituere. Secundò & in specie per text. singularem expressum in leg. Unic. Codic. de Inoffic. dotib. maxime secundum secundam lectionem veram, & communiter approbatam: ubi dicit, quod sicut donatio mera & pura revocatur quando est inofficiosa in fraudem Legitimæ filiorum, ita etiam quando est inofficiosa dos: (u) & licet text. non dicat nec aperiatur, an intelligatur constante matrimonio, vel eo soluto? tamen, cum text. & DD. loquantur simpliciter, & indistinctè, utroque casu debet intelligi. Et in expresso, quod etiam ille text. intelligatur & procedat constante matrimonio, tenet ibi Paul. de Cast. 2. col. & tenet singulariter Palac. Rub. in sua repetition. cap. Per vestras, fol. 96. 2. col. numer. 6. ubi refert, quod cum iste casus accidisset in Cancellaria Regia, fuit valde dubius, sed ita judicavit ipse, & alii Auditores. Pro qua sen-

(r) Id etiam docet Gregor. Lopez in leg. 3. tit. 13. verb. Non queria, & in leg. 8. verb. Legitima, tit. 4. part. 5. Baez. de Non meliorand. dotis ratione filiab. cap. 33. num. 4. Matienz. in leg. 3. tit. 3. lib. 3. glos. 7. num. 1. & in leg. 3. tit. 6. glos. 3. lib. 5. Molin. in tract. de Donationibus factis in Contract. matrim. num. 58. Castill. hic, verb. Inoffic. el. 1. ubi, & videtur quod continetur filia, &c. Hanc sententiam tenet Segur. in leg. Cohæred. §. Nam filia, num. 129. de Vulgar. Bernard. Diaz de Lugo reg. 215. Palac. Rub. in leg. 17. Taur. num. 44. & ita fuisse judicatum in Sacro Concil. Neapol. refert Aflictis Decision. ad finem.

(u) Prout tenet Palac. Rub. in repetitione cap. Per vestras, notabili 3. §. 22. num. 1. de Donat. inter virum, & §. 24. num. 3. Gomez Arias in leg. 2. Taur. num. 11. ubi hoc pluribus rationibus confirmat: Baeza de Non meliorand. dotis ration. filiab. cap. 32. num. 1. & sequent. Molin. in tract. de Donationibus factis in contractu matrimon. num. 59. ubi contrariam sententiam erroris portentum appellat, cum aliis quos congerit & sequitur Matienz. in leg. 3. tit. 8. lib. 5. glos. 5. num. 3. & in leg. 1. tit. 2. glos. 4. num. 7. lib. 5. Recopil. quibus locis contrariæ partis fundamentis latè respondet, præsertim dict. leg. 3.

sententia, & conclusione est hodiè ista nostra lex 29. in legib. Taur. quæ expressè hoc disponit. Et si quæras, quæ potest esse ratio, quare creditores veri non revocant alienata per debitores titulo oneroso, nisi uterque participet de fraude, tam debitor, quàm recipiens; filii verò revocant dotem inofficiosam, etiam fraude mariti non interveniente, nec probata? Potest responderi, quòd titulus dotis non est ita onerosus sicut alius titulus: quia in alio titulo emens vel recipiens dedit verum pretium loco rei, & transivit in patrimonium alienantis; quod non est in dote. Vel aliter & secundò potest responderi, quòd creditores indistinctè revocant in totum, & sic agitur de majori præjudicio, ideo requiritur quòd uterque participet de fraude; filii verò revocant quatenus tangit Legitimam eorum. Vel aliter & tertio potest responderi, quòd filii habent jus in re in bonis patris vel matris, & debent habere Legitimam in ipsis rebus, substantia & patrimonio eorum, ut in leg. Scimus, §. Repletionem, Cod. de Inoffic. testam. undè meritò tanquam reales creditores possunt revocare immensè donatum, vel datum pro dote: alii verò creditores sunt merè personales respectu personæ, non respectu bonorum; ideo non ita faciliter possunt revocare.

35 Circa prædicta tamen cadit singulare & necessarium dubium: scilicèt, quòd tempus inspicatur ad hoc, ut donatio vel dos data filio vel filia à patre vel matre dicatur inofficiosa? Et certè articulus est valdè dubius, & non bene decisis de jure communi, & in eo maxime insudavi, & magno labore & studio illum reddam clarissimum: Et breviter & re-lutivè dico, quòd tam de jure communi quàm Regio debet inspicere tempus mortis patris, vel matris; quia Legitima debetur filiis, habito respectu ad bona, quæ pater vel mater habet tempore mortis, & non alio: textus est in leg. Cum queritur, Cod. de Inoffic. testam. text. in Authent. Novissima, eod. tit. text. in leg. Scimus, §. Repletionem, eod. tit. text. in leg. Etiam, §. Si patronus, ff. de Bonis libertor. text. in leg. Si patronus, ex debita, §. final. eod. tit. text. in leg. fin. ff. Si quid in fraud. patron. text. in Authent. de Nuptiis, capit. Quia verò hætenus collation. 4. textus in leg. 1. §. Si impuberi, ff. de Collation. bonor.

Ex quo in terminis nostris notabiliter infero, quòd si tempore factæ donationis donatio fuit inofficiosa, & postea non crescunt bona & facultates patris, vel matris; illa donatio revocabitur, habito respectu ad tempus mortis, computando bona quæ erant tempore do-

nationis, ut fiat eorum unus cumulus: & valebit donatio in Quinto bonorum, si fuit facta extraneo; vel in Tertio & Quinto, & Legitima, si fuit facta filio, vel descendenti; & residuum erit Legitima aliorum: ita probat text. formalis & expressus in Authent. Unde & si parens, Codic. de Inoffic. testament. Cujus verba sunt: Unde & si parens in quendam liberorum, vel in quosdam fecit immensam donationem, quisque tantum ferat ex hæreditate nomine Fulciæ, quantum poterat ante donationem deberi: & ibi notat & commendat Paul. de Castro, & communiter DD. text. in leg. 1. & per tot. Cod. de Inoffic. dotib. Confirmatur hac ratione: quia alias, si ita non fieret cumulus, & computatio, semper possent parentes defraudare filios in vita, si tantum ex bonis quæ habent tempore mortis deberetur.

Secundò infero, quòd si donatio non fuit inofficiosa tempore quo fuit facta, sed postea diminuitur patrimonium patris vel matris, debet haberi consideratio ad bona quæ habebat tempore donationis, & etiam tempore mortis, & fieri eorum unus cumulus; & tantum valebit in eo quo non redditur inofficiosa, ultra verò non, sicut diximus in superiori casu: & in expressò ita tenet Pet. de Bellapert. in leg. 1. Cod. de Inoffic. donat. final. column. & quest. & ibi Mart. quem refert Cin. in 5. quest. & ista opinio videtur mihi pura veritas, licet contrarium in hoc tenebat Glossa ordinaria in dict. leg. 1. Codic. de Inoffic. donation. in glossa magna prope fin. 9. quest. & ibi Cyn. 3. column. 5. quest. & cum hac opinione Glossæ transit ibi Bart. Alberic. & Jacob. But. in fin. & eam expressè tenet & approbat Bald. 4. column. 5. quest. Paul. de Cast. penult. column. Salyc. penultim. column. 5. quest. moti hac tantum ratione: scilicet, quia prædicta donatio à principio fuit valida, justa, & perfecta; unde ex post facto retractari non potest: argumento text. in leg. Perfecta donatio, Cod. de Donat. quæ sub mod. Et ista sententia & conclusio Pet. de Bellapert. hodiè approbatur & confirmatur per istam nostram leg. 29. in finalib. verb. quæ est æquissima & juridica, attentis superioribus.

Tertio infero, quòd si donatio tempore quo fuit facta fuit inofficiosa, sed postea crescunt bona & facultates donatoris, taliter quòd, habito respectu ad tempus donationis, & ad tempus mortis, factò uno acervo, & cumulo, non resultat inofficiosa; valet, & tenet, & non debet retractari, & in expressò ita tenet Glossa ordinaria in dict. leg. 1. Codic. de Inoffic. donat. in glossa magna, 8. quest. & ibi Cin. 3. column. 4. quest. Bald. 4. col. 6. quest. Salic. penult. col.

4*

4. quest. Paul. penultim. column. & communiter alii DD. & istud idem vult, & disponit etiam nostra lex 29. in quantum dicit, quòd inspicatur tempus mortis. Advertendum tamen, quòd ista omnia habent locum in donatione merè lucrativa, sed in dote idem erat dicendum de jure communi, argumento text. in leg. Unic. Cod. de Inoffic. dot. juncto titulo præcedenti de Inoffic. donat. Sed hodiè nostra lex 29. Tauri expressè vult, quòd maritus eligat, ut inspicatur tempus dotis datæ, vel tempus mortis: Et ratio fundamentalis potest esse, quia titulus dotis non est merè lucrativus, sed onerosus, ut in leg. Pro oneribus, Codic. de Jure dot. cum similibus.

Item etiam juxta prædicta quæro, si pater vel mater dedit filio vel filia dotem, vel donationem propter nuptias, & talis filius vel filia conferat: an filius melioratus habeat & deducet meliorationem de prædicta dote vel donatione propter nuptias jam unita & incorporata in bonis & patrimonio defuncti, vel solun habeat eam de aliis bonis, non verò de dote & de donatione, quæ fuit adducta ad collationem? Et dico quòd lex 25. supra expressè decidit, quòd non, & iste est ejus verus sensus.

36 Quoad sextum, & ultimum principale: scilicet qualiter, & quibus remediis sit conferendum? Breviter & resolutivè respondeo, quòd uno de tribus modis: Primo modo per liberationem, quando illud, quòd debet conferri, est promissum, sed non traditum, nec solutum: text. in leg. 2. Codic. de Collation. & Glossa ordinaria, & communiter DD. Secundo modo in medium adducendo, quando illud, quòd debet conferri, est traditum, & solutum: textus est in leg. Filia dotem, Cod. de Collation. & ibi

Glossa ordinaria, & communiter DD. Tertio modo tantum minus accipiendo, quando illud, quòd debet conferri, est traditum & solutum, sed non est in potestate conferre debentis, ut quia maritus possidet dotem datam filia: textus est in leg. Dotis quidem petitio, Codic. de Collation. & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. Et in expressò illam doctrinam & resolutionem ponit notabiliter Bartol. ubi valdè commendat in dict. leg. Dotis quidem petitio, Codic. de Collation. & ibi Bald. Paul. Salyc. & communiter Moderni. Idem Bart. in leg. 1. §. Filium, ff. de Collation. dot. idem Bart. in leg. Pater filium, final. column. & quest. eod. tit. idem Bart. in Authent. de Trient. & semiss. §. Illud quoque, in fin. Collat. 3. Pet. de Bellapertic. in Authent. Ex testamento, Cod. de Collat. 3. column. in fin. Cin. in dict. leg. Si emancipati, eod. tit. 2. column. 7. quest. (x)

37 Item adde pro complemento materiae, quòd jus conferendi transit ad hæredes activè; quia mortuo hærede qui poterat petere collationem post aditam hæreditatem, vel eo casu quo hæreditas non adita transmittitur, possunt hæredes ejus petere collationem, sicut hæres defunctus poterat; text. est in leg. 1. §. Ibidem, ff. de Collat. bonor. text. in leg. Si maritus, Cod. de Collation. & ibi communiter DD. Et similiter transit ad hæredes passivè; quia mortuo eo qui tenebatur conferre, tenebitur etiam hæres ejus: text. est in leg. 2. ff. de Collat. bonor. & ibi notat Bartol. & communiter DD. Confirmatur, quia sicut hæreditas ipsa transmittitur, eodem modo jus & æqualitas ejus. Secundò confirmatur, quia ex persona hæredis conditio obligationis non mutatur, ut in leg. 2. §. Ex his, de Verbor. obligat. Tertio, quia jus petendi supplementum Legiti-

mæ

(x) Adde scripta in leg. Dotis petitio, Codic. de Collation. Et notabis etiam, quòd si solum sit matrimonium, ita quòd filia penes se habet dotem, tenetur illam conferre in ea æstimatione qua reperitur tempore mortis patris, & tenetur conferre res ipsas dotales, quales eo tempore reperuntur, non vero earum æstimationem: Ex quo sequitur, quòd si filia fuerunt traditæ in dote res mobiles, quæ tempore mortis patris reperuntur consumptæ, non tenentur eas conferre: ut post alios tradit Afflic. decis. 247. Secundò infero, quòd si fundus filia in dotem à patre tempore mortis patris sit pretiosior, & ejus valor excreverit ex sola mutatione temporis, nihilominus est conferendus talis qualis tempore mortis patris reperitur; è converso si sine culpa filia effectus est vilior, debet conferri ut eo tempore reperitur: ut tenuit Paul. in leg. Illud, Codic. de Collation. quem sequitur Socin. consil. 65. versic. 6. conclus. 1. Gregor. in leg. 3. tit. 15. part. 6. versic. Contra, quorum opinio mihi maxime probatur, quamvis contrarium defendat Ayora de Partition. 1. part. cap. 3. versic. Quarto quæro. Quæ opinio procedit etsi res dotales datæ sint æstimatæ, ea æstimatione quæ faciat emptionem; nam nihilominus debent conferri res ipsæ, non earum æstimatio, si filia & cæteri fratres æstimationi non consenserunt; nec enim æstimatio facta inter socerum & generum potuit filia præjudicare; argumento text. in leg. Si annum, §. Ante omnia, ff. de Paclis, neque reliquis fratribus, qui in ipsarum collatione possunt actionem prætere.

ma transmittitur, quia fit ipso jure per legem, & reputatur jus jam quæsitum, & petitio venit ad executionem juris jam quæsitum: argumento text. in leg. Scimus, Cod. de Inoffic. testament. & ibi DD. & præcipue Salyc. Quarto, quia jus accrescendi transmittitur, ut in leg. Si ex pluribus, ff. de Suis & legitim. hæred. & in leg. Qui patri, ff. de Acquirend. hæred. Quinto, quia jus detrahendi quartam Trebellianicam & Falcidiam transmittitur ad hæredes, ut in leg. Marcellus, §. fin. Ad Trebellian. & in leg. Quamquam, Cod. ad leg. Falcid. Sexto, quia jus petendi restitutionem transit ad hæredes, ut in leg. Non solum, ff. de In integrum restitution.

38 Sed quia materia nostra maximam habet communionem cum computatione, quæ fit in Legitima filiorum, quæ post collationem inventa fuit à jure, ut patet ex novis legibus de ea loquentibus, maximè ex leg. Quoniam novellæ, Cod. de Inoffic. testament. juncta leg. Ut in liber. Cod. de Collat. & ex leg. Omnimodo, §. Imputari, Cod. de Inoffic. testament. & ex leg. Si quando, §. Et generaliter eod. tit. & ibi notant DD. & notat & declarat Paul. de Cast. in leg. Illud, Cod. de Collat. 1. column. licet de jure antiquo etiam sit inventa in quarta Falcidia quæ debetur hæredi iustituito jure institutionis, ut in leg. Quartam, ff. ad leg. Falcid. & similiter inveniatur in Legitima filiorum, quando expressè pater vel ascendens dicit, quod datum vel donatum in vita computetur in Legitima, ut in leg. Si non mortis, ff. de Inoffic. testam. Ideo volo hos terminos, differentias, & effectus declarare: & magistraliter, & resolutivè dico, quod Computatio est Alicujus rei vel quantitatis donatæ in Legitimam vel partem ejus assumptio. Et fit tantum in casibus sequentibus: Primus est, quando de jure antiquo ante Justinianum pater, vel mater, vel descendens relinqueret filio vel descendenti minus quam sit Legitima; quo casu filius vel descendens agebat querela inofficiosi testamenti, ut in leg. Conqueritur, Codic. de Inoffic. testament. nam tunc tenebatur computare in sua Legitima bona sibi à patre donata in vita, ut excluderetur à querela. Secundus casus est, quando de jure novo post Justinianum pater relinquit filio titulo institutionis minus quam sit Legitima; quo casu agit ad supplementum, ut in leg. Omnimodo, Cod. de Inoffic. testam. nam hodie non agit, si potest integra Legitima solvi & repleti ex bonis sibi donatis à patre, vel matre, vel ascendente in vita; quia illa tenetur computare in prædicta Legitima, & excludetur à jure agendi ad supplementum. Tertius casus est, quando filius simpliciter sit institutus à patre vel matre in sua Legitima; quia similiter tunc computabit in ea bona sibi donata à patre vel matre in

vita; & si sufficiant ad Legitimam, nihil plus petere poterit, si vero non sufficiant, petet residuum virtute testamenti & institutionis. Quartus casus est, quando filius esset exhæredatus cum expressione legitimæ causæ, quæ tamen postea non fuit probata; quo casu filius poterit agere querela ad rumpendum testamentum, sed tunc tenetur filius computare in sua Legitima bona sibi donata à patre vel matre in vita, ut excludatur à querela in totum, vel in parte recepta. Quintus casus est, quando pater vel mater instituat filium vel filiam hæredem in dote, vel in donatione sibi facta, quæ de jure debet imputari; nam valet institutio, licet sit proprium patrimonium filii vel filiæ, & non patris vel matris, ut est Glossa notabilis ordinaria, & ibi communis opinio in leg. 3. §. Sed utrum, ff. de Minor. in glossa fin. & si talis dos vel donatio sufficit ad Legitimam, non poterit aliquid aliud petere; si verò non sufficeret, ageret ad supplementum: Secus verò si esset institutus in re propria ipsius filii vel filiæ, quia tunc testamentum esset nullum, tanquam si in aliquo non esset institutus, & censetur omninò præteritus, & non ageret ad supplementum. Sextus casus est, quando filius vel filia esset institutus universaliter, & gravatus de restituenda hæreditate alteri; quia licet possit detrahere Legitimam in qua non potuit gravari, tamen in ea tenetur computare dotem & prædictam donationem receptam. Et in effectu istam sententiam & resolutionem probat text. in leg. Quoniam novellæ, Cod. de Inoffic. testam. text. in leg. Omnimodo, §. Imputari, eod. tit. text. in leg. Ut liber. Cod. de Collat. text. in leg. Illud, eod. tit. text. in leg. Si non mortuis, ff. de Inoffic. testam. & ponit singulariter, & melius quam alibi Paul. de Castro in dict. leg. Quoniam novellæ, Cod. de Inoffic. testament.

Et si quæras, quæ bona sunt computanda? respondeo, quod donatio facta ob causam ut dos, vel donatio propter nuptias, & similis computatur, quia non videtur intentio patris vel matris libere & absolutè donare; ut aperte probant prædicta jura: Donatio verò simplex, quæ statim valet, ut quia est facta ex causa per quam statim valeat, vel sit jurata, vel sit facta filio emancipato, vel à matre, vel à linea materna, vel filio in potestate, qui postea vivo patre emancipetur, non computatur, nisi expressè sit dictum à donante; quia intentio ejus fuit liberè donare: Donatio verò simplex, quæ statim non valet sed morte confirmatur, computatur; quia habet vim relicti, & legata vel relicta computantur: ita probat text. in leg. Si quando, §. Generaliter, Cod. de Inoffic. testam. text. in leg. Filium quem habentem, Cod. Famil.

erciscund. textus in leg. Etiam, ff. de Bonis liber. Et ratio potest esse; quia cum pater vel mater in testamento nihil aliud filio vel filiæ reliquit, intentio sua est, vel quod illa donatio, quam tempore mortis poterat revocare, & similiter legatum vel fideicommissum computetur, & habeat pro sua Legitima: undè merito computatur. Et in expressò ita tenet Bartol. in leg. in Quartam, ff. Ad leg. Falcid. 4. column. num. 10. & ibi communiter DD. præcipue Paul. de Monte Picol. in repetit. illius l. 5. 5. column. num. 62. versic. Septima conclus. ubi vide exempla: & 59. column. numer. 66. versic. Octava conclus. est, & ibi Carol. Ruin. 12. column. num. 23. idem Bart. in leg. 1. §. Nec castrense, de Collat. bonor. penult. column. Paul. de Castro qui notabiliter loquitur in leg. Quoniam novellæ, Codic. de Inoffic. testament. 1. column. & ibi Bald. & Jason. idem Paul. in leg. Cum queritur, eodem tit. idem Paul. in leg. Si quando, §. Generaliter, eod. tit. & ibi Jas. Bald. in leg. Quoniam, in priorib. eodem tit. 2. column. num. 6. ibid. Paul. Jason. Corn. & communiter Modern. in leg. Illud, Cod. de Collationib. Fabia de Giochis in repetition. Authentic. Novissima, Codic. de Inoffic. testament.

Et ex prædictis collige, quod vera & realis differentia inter computationem, & collationem est, quod computatio fit tantum in casibus supra positis, & non in aliis, ut dixi, & probavi; collatio verò in pluribus aliis: Item computatio habet locum tantum ex testamento, non verò ab intestato; collatio verò ex testamento & ab intestato, ut in Authentic. Ex testamento, Codic. de Collationib. Item computatio habet locum modò succedat filius cum aliis filiis, & descendentes, modò cum extraneis; collatio verò tantum habet locum inter filios, & descendentes; ut in leg. 1. & per tot. ff. de Collation. bonor. & in leg. Ut liber. & per tot. Codic. eodem tit.

Item etiam circa prædicta datur talis regula, quod ea quæ in dictis casibus facta testamento computantur, omnia illa ex testamento, & ab intestato conferuntur: non verò è contra: Istam regulam ponit text. in leg. Illud, Cod. de Collationib. Et si replices, quod legata vel relicta, vel donatio, quæ morte confirmatur, computatur; tamen illa non conferuntur, ut in leg. A patre, Codic. de Collationib. ergo ista regula videtur falsa. Respondeo, quod debet intelligi quando nihil invenitur dispositum de collatione: secus si expressè invenitur quòd non conferatur, ut hic.

Unum tamen formaliter in materia quæro: an pater, vel mater, vel ascendens, cui minus Legitima per filium vel ascendentem est relicta, Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

tum, teneatur computare in Legitima quod in vita sibi donatum est à filio vel descendente? Et videtur quòd non, quia non tenetur conferre; ut supra dictum est. Sed contrarium tenet Paul. de Mont. Picol. in dict. repetition. leg. In quartam, 79. column. num. 87. vers. Quero etiam, & hoc per argumentum à majoritate rationis: nam si filius computat, cui magis debetur Legitima; ergo similiter pater vel ascendens. Sed ego tenerem primam opinionem, per rationem quam posui supra in articulo, an ascendentes teneantur conferre?

40 Circa quod tamen se offerunt pulchra subtilia, & quotidiana dubia. Primum est, an hoc casu dos, vel donatio propter nuptias, vel quid simile de sua natura computabile computetur nepotibus in Legitima, si minus Legitima sit eis relicta, sicut ipsi filio vel filiæ prædefunctis computaretur? Et videtur quòd non; quia illa tantum bona computantur, quæ immediatè proveniunt ex substantia, & patrimonio ejus de cujus successione tractatur, ut in leg. Omnimodo, §. Imputari, Codic. de Inoffic. testament. & in leg. Scimus, §. Repletionem, eod. tit. & in leg. Quoniam novella, eod. tit. sed ista dos vel donatio provenit nepotibus ex substantia patris vel matris prædefunctæ; non verò ex substantia vel patrimonio avi: ergo non computatur. Confirmatur, quia mutatione personæ mutatur qualitas bonorum, & amplius non dicuntur bona primi, sed secundi possessoris, argumento textus in leg. Paulus, alias per Procuratorem, ff. de Acquirend. hæredit. textus in leg. Sed si plures, §. Filium impuber. ff. de Vulgar. & pupill. Et ex isto principali fundamento istam sententiam, & conclusionem tenet Bald. in leg. Illam, Cod. de Collationib. 2. column. num. 6. Angel. in leg. In quartam, ff. Ad leg. Falcid. final. column. num. 9. Secunda est opinio principalis in hoc dubio & difficili passu: scilicet, quòd si nepotes succedunt avorum patris vel avunculis, tenentur computare, quia tantum ex persona patris vel matris defunctæ veniunt: si verò succedunt cum aliis nepotibus, non tenentur computare; quia ex propria persona veniunt: ita tenet Joan. de Imol. in leg. In quartam, ff. Ad leg. Falcid. penult. col. versic. Ulterius, idem Imol. in leg. Post dotem, ff. Solut. matrim. Salyc. in leg. Scimus, §. Imputari, Cod. de Inoffic. testament. 2. column. num. 5.

Tertia & principalis opinio vera & tenenda est, quòd indistinctè talis dos, & donatio propter nuptias, & simile imputabile, debet computari à nepotibus in Legitima, sicut computaretur patri vel matri eorum prædefunctis, modò succedant cum patris vel avunculus, modò cum aliis nepotibus: Primò per textus in leg.